pellitur. Caritatem autem negant divinitus dari qua pie vivimus, ut scientia sit donum dei, scientia que sine caritate inflat, et non sit donum dei ipsa caritas que ut scientia non inflet edificat. Destruunt etiam orationes quas facit ecclesia sive pro infidelibus et doctrine dei resistentibus ut convertantur ad deum, sive pro fidelibus ut augeatur eis fides et perseverent in ea. Hec quippe non ab ipso sed a se ipsis homines habere contendunt, gratiam dei qua liberamur ab impietate dicentes secundum merita nostra dari. Parvulos etiam sine ullo peccati originalis vinculo asserunt nasci.

Hic ponit ea quibus suum confirmant errorem verbis Augustini contra ipsum utentes

Dicunt non dictum sine gratia hominem per liberum arbitrium omnia mandata implere, huiusmodi inducentes verba: Si iniquum est non posse ea facere homo que iubentur, non est ei imputandum ad meritum. Item Augustinus in libro de libero arbitrio asserit: Nemo iniquus peccat in eo quod nullo modo caveri potest; peccat autem, caveri igitur potest. Hoc testimonio Augustini Pelagius usus est disputans adversus eum, immo adversus gratiam. Unde Augustinus in libro retractationum: Illud et alia huiusmodi recitans que memoraverat in his autem huiusmodi verbis meis, quia gratia dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani suam nos tenuisse sententiam, sed frustra hoc putant. Voluntas quippe est qua peccatur et recte vivitur, quod his verbis egimus; sed ipsa nisi gratia dei liberetur et ut vitia superet adiuvetur, recte a mortalibus vivi non potest. Ecce aperte dicitur ex quo sensu illa dixerit, inimicos gratie refellens.

Aliud testimonium Augustini ponit quo usus Pelagius pro verbat

Similiter nitebatur Pelagius verbis Augustini que in libro de duabus animabus dicit: Peccati reum tenere quemquam quia non fecit quod facere non potuit summe iniquitatis et insanie est. Hic audiunt exultant Pelagiani dicentes: Ergo et parvuli et illi qui non habent gratiam sine qua non possunt facere divina mandata rei tenentur. Hoc autem qua occasione dixerit in libro retractationum Pelagio respondens aperit: id enim contra Manicheos dixit qui in homine duas naturas esse contendunt, unam bonam ex deo, alteram malam ex gente tenebrarum que nunquam bona fuit nec bonum velle potest; quod si esset non videtur ei imputandum esse si non bonum faceret.

Aliud quod videtur contrarie gratie dei addit

Libri etiam Augustini dicunt que huic gratie contradicere videntur quam instituimus. Ait enim de hoc contra Adimantum Manichei discipulum: Nisi quisque voluntatem suam mutaverit, bonum operari non potest; quod in nostra potestate esse positum docet ubi ait: Aut facite arborem bonam etc. Quod Augustinus in retractationibus non esse contra gratiam dei quam predicamus ostendit. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est nisi a deo detur. De quo dictum est: Dedit eis potestatem filios dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est; sed preparatur a domino voluntas, eo modo dat potestatem.

Aliud testimonium in libro de duabus animabus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_326/0236

MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG